



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

CXII. Maththiæ Machabæi Ducis & Pontificis Hebræi Zelus pro honore Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

NARRATIO CXII.

MATHATHIÆ MACHABÆI DUCIS ET PONTIFICIS HEBRÆI ZELUS PRO HONORE DEI,

1. Machab. c. 2. & Joseph, de rebus Judaicis Lib. 12. cap. 8. Anno Mundi 3888. ante Christum 165.

Post heroinam, Machabæi nominis gloriam, in fortitudinis theatrum heros prodit, *Mathathias* nuncupatione, dignissimus spectari, audiri, legi. *Antiochus*, de quo supra, cum captâ Hierosolymâ, civium octoginta millia, triduo continuô trucidâisset, superstitem verô tantæ cædis mortalium, numerum ingentem cepisset, captorum multitudinem divendisset; templum sacrilegè diripisset & profanâisset: populum Hebræum per suos præfectos, præsertim *Apollonium*, tributis, prædis, cædibus exhaustisset: urbem inflammâisset: ædificia publica, privatâque diruisset; mœnia, turrésque dejecisset, arcemque Sionis, prædonum receptaculum effecisset; inter alios *Mathathias*, Machabæi sanguinis Dux & Sacerdos (*Serrarius* & *Salianus* cum alijs etiam Pontificem fuisse autumant) cum filijs quinque (quorum nomina, *Judas* cognomento *Machabæus*, *Simon*, *Ioannes*, *Ionathas*, *Eleazarus*) *Maddinam*, Daniticæ Tribûs montanum oppidum Jero-

folym
Iuda
rum
tioru
veh
pla
sûs i
ro,
M
non
lym
bant
tatu
exip
cis o
que
lam
fræe
urge
prin
ciqu
palat
Mat
sus i
ex o
se Sa
redd
aræ
ret:
ferru
sacri
pers

solymis commigravit. Antiochus quippe, cum Iudaici nominis universi, Sacrorumque Mosaicorum excidio, Graecorum ritus, Deorumque fictiorum cultum, propositis acerbissimis suppliciis, invehere contendebat. Quae dirae crudelitatis exempla Mathathiam cum suis irritarunt ad piam, adversus impia tribunalia, rebellionem, hac, quam affecto, rerum occasione.

Mathathiae fugam cognita, venerunt Modinam non ita multo post, est praefectis regijs, qui Ierosolymis, & in vicino, praesidia contra Iudaeos agitant, nonnulli infensiores, nec sine militari comitatu. Quorum agmen tunc ducebat *Apelles* quidam, ex ipsa nuper Antiochia missus ab Epiphane, qui locis omnibus, omnes, nullo discrimine, Iovi, Diisque Graecorum caeteris, immolare compelleret. Tamque Mathathiae municipum & contribulium, & saepe maximè plebeia, complures imperata fecerant, urgebantque praefecti Mathathiam quoque; ne qui primus illic esset dignitate, postremum se credi, dicique vellet, in Regis obsequia. Detestante verò palam hoc officij genus, ac longissimè renuente Mathathia: Iudaeus se quidam oculis omnium ausus ingerere: quippe tantò gratiosior [uti sperabat] ex ostentatione promptitudinis futurus; quantò se se Sacerdos invisorem ministris regijs è cunctatione reddidisset. Cum autem scelestus hic, conscensus arae gradibus, simulacro Iovis publicè thus adoleret: incensus iram justissimam Mathathias, distringit ferrum: perripit spectantium globum; irrumpit in sacrificantem: eoque super ipsam aram trucidatò, perspersum cruore Iovem evertit; aram subruit; *Apel.*

Apellem contra vociferantem ac furentem , in tribunali suo contrucidat , sibi que per obstantes satellitum cuneos viam , dextrâ , lævâque feriens , aperit : maximâque voce tum filios suos , tum alios omnes , siqui DEÏ nondum immemores essent , evocatos post se , relictis fortunis , domesticis omnibus , in avia silvarum , montiumque trahit. Eâque magna fuit , etiamnum pro DEÏ , legumque reverentiam stantium , sexûs utriusque multitudo ; sic , ut paucis post diebus , unius duntaxat agminis , quod in antrum se quoddam abdiderat , ac barbaris eos evocantibus , nec morem gerere , nec arma contra ferre sustinuerat , mille ferè , sarmentis superinstructis , incensisque consumpti sint. Mathathias verò collecto exercitu non aspernando , nunc excursionibus , nunc acie justa , minoribusque preclis copias suas [utcunque sese scrutantibus offerret oportunitas] in hostem ducebat tam indigenam , quàm externum : ac modis ac vijs omnibus , tum Judæos transfugas , tum Syros & Græcos exagibat.

Cæterum vitâ , quàm animo contractiore , sub eum ipsum , quò bellare cœperat , annum , morte decessit pacatissima : nec eorum , quæ post se fieri vellet , injuriosâ vel improvidâ. Supremis enim verbis suos affatus ; ac multis ad retinenda patriæ sacrorum instituta cohortatus , filios omnes fortitudinis suæ successores designavit ; quorum armis , & sacrorum principatui Iudam Machabæum ; consilij ac momentis armorum Simonem , præfecit. Defuncto , & publicis lacrimis elatô parente , Judas è vestigio quidquid roboris militaris erat in Iudæa , col-

collegit, & Syris ac Græcis, infestus pariter & invictus, restitit. Imprimis verò Mosaicæ religionis transfugas, ac populi turbatores armis infectabatur, & in arctum compactos flammis absumebat. Longum esset illius omnia prælia, velitationesque, quibus Antiochi legatos ac Duces exagitavit, exponere. Quare pugnas duntaxat eas referemus, quæ potissimum eminentes, nomen ejus barbaris formidabile, civibus gloriosum reddiderunt.

NARRATIO CXIII.

JUDAS MACHABÆUS,
GENTIS HEBRÆÆ ARCHISTRATEGUS, POLIORCETES, RELIGIONIS DEFENSOR, PATRIÆ SERVATOR.

Ex libris Machabæorum.

Anno M. 3889. ante Christum 164. ad annum
3894. ante Christum 159,

Felix gladius, qui suam aciem è cœlo ducit. *Judas* cognomento *Machabæus* paternæ virtutis æmulus, primo per insidias; deinde apertò bello Syros persecutus, trium regum *Antiochi* Epiphanis, *Antiochi* Eupatoris, & *Demetrii*; Duces militares *Apollonium*, *Seronem*, *Lysiam*, *Gorgiam*, *Nicanorem*, *Timotheum*, *Bacchidem*, aliòsque (præter intestinos hostes,